

Spatio decem dierum jam fere restitu-
tus videbatur hic æger.

Me inscio tunc pilularum usum in-
terrupit, & mox morbus iterum pejor
erat.

*Sensit tunc ipse & fatebatur, quod le-
vamen ingens ex hocce medicamento
haberet, atque ideo statim id iterum
cœpit assumere.*

Ultra tres septimanas continuavit su-
mendo quotidie quindecim hujus extra-
cti grana.

Bene tunc se habuit, potuit iterum
suo officio fungi.

EXPERIMENTUM VI.

Homo, 33. annorum, per plures
septimanas sputum ejecit striis
sanguineis mixtum, vexabaturque tussi
multa titillatoria, & nocte erat anxius.

Mul-

Multum laboris in curando hoc morbo impendi, & videbatur subinde uno die malum minui, altero autem die prior iterum scena ludebatur.

Dedi tunc granum unum mane extracti Hyosciami, & unum vesperi.

Nox fuit longe tranquillior, & æger sibi opium datum esse, putavit.

Secundo die jam sputum striatum minuebatur, & nox iterum tranquilla fuit.

Tertio die dedi ter granum unum hujus extracti.

Disparuit tunc omnis sanguis in sputo, prodiit mox materies subflava, bene cocta, & pectus erat multo liberius.

Auxi dein dosin & sexto die exhibui novem grana, mane nimirum tria, tria versus meridiem, & reliqua vesperi.

Hac

Hac dosi per quatuor septimanas continuatum fuit.

Prodibant tunc sputa bene cocta, pectus fiebat liberum, appetitus magnus, alvus quotidie ter, quaterve solvebatur glutinosa, ægri vires bonæ erant.

Et quoniam dein omnis fere tuſſis aberat, ægerque bene ſe habuit, ab uſu pilularum ceſſatum eſt.

EXRPERIMENTUM VII.

NObilis matrona, 47. annorum, incidit ex ira vehementi in hai-moptoen.

Venæ ſectionibus & remediiſ va-riis tunc secundum indicationem ad-hibitis, ſanguinis prodeuntis quidem copia minuebatur, ſputum tamen ma-nebat ſemper multo ſanguine tintutum.

Ad-